Sed sileat hic stulta ratio, et attendatur divina or-
dinatio, quae adhiberi voluit Circumcisionem in illo
corporis membro, ut signum esset nostrae per generati-
onem carnalem corruptae naturae: ideo nimirum ista
pars corporis circumcidi debebat, ut ostenderetur, na-
turam nostram ex traduce prorsus esse corruptam,
indeque regeneratione ac renovatione opus habere, quae
futura quidem per semen mulieris benedictum erat. Sic
ergo haec circumcisio, ut praeclare scribit Ambrosius,
mysticum quoddam praeceptum erat castimoniae, et
coercendarum ac refraenandarum cupiditatum: unde et
in ea corporis parte circumcisio jussa est fieri, in qua
praecipue libidinis impetus effervescere videtur.
Cum enim non inusitatum sit, ex parte totum intel-
ligi, ut cum caput pro homine dicimus, Deus omnino u-
nam corporis partem circumcidi jussit, cum tamen
vellet inania omnia et supervacanea et immoderata
resecari. Tempus esset, ut pedem moverem, et abhinc pace
S. V. ad finem evolvendum transirem. Sed, cum ali-
as satis iis notum sit, quippe qui praecipuum erat, ut medium
circumcisio esset recipiendi in foedus Dei, ut sigillum
esset justitiae fidei, ut signum esset aeterni foederis inter
Deum et posteros Abrahae, temporis lucrifaciendi causa
saltem hoc faciam, et brevissime ad interrogationem
istam respondebo: quaenam mystica Circumcisionis fue-
rit significatio? Adumbrabat omnino Circumcisio car-
nis circumcisionem cordis, ad quam et illa deduce-
bat. Atque hoc est, quod disertis verbis non tantum
Deus praedicit in Deuteronomio, sed et typice signifi-
cat, cum Abrahamo imperat, ut circumcideret non so-
lummodo et filium, sed et vernas, eosque quos comparasset
pretio. At vernae sunt sensus nostri, vernae sunt affe-
ctus, vernae sunt cupiditates, domi nostrae nasci videntur.
Circumcidenda igitur haec sunt omnia. Circumcidit a
oculos, qui avertit eos, ne videant vanitatem: circum-
cidit os, qui diligenter cavet, ne in eo inveniatur dolus: